

DISA



12

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA.  
DE  
**VERA MORBORVM  
DIAGNOXI CERTO THERAPIAE  
FVNDAMENTO.**

---

QVAM  
AVSPICE DEO PROPTIO  
CONSENSV ATQUE AVCTORITATE  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI

PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO  
**DN. IOANNE IVNCKERO**

MEDICINAE DOCTORE ET PROFESSORE PVBL. ORDINAR.  
ORPHANOTROPHEI HALENSIS ET PAEDAGOGII. REGII  
PRACTICO CELEBERRIMO

PATRONO PRAECEPTORE AC PROMOTORE  
SVO AETERNVM DEVENERANDO

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

D. VII. SEPTEMB. MDCCCLVI.

ERUDITORVM EXAMINI SVBIICIT

**HENRICVS THEOPHILVS KOEPPE**

NEOFANENSIS MARTISBURGICVS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

DISCUTATIO IN MUNDANIS MATERIIS  
VERA MORATORIA  
DICO SOIS CESTO THYMELIE  
LUDVANUS.

ALIAS DE PROPHETIA  
CONTRA VITIA VACILLATIONE  
GRATIOSI ORGINIS MEDICI

PROFESSIONE HINCERIO  
ANO MILLECCXIIII ATQUE ELLIPHANTISIMO  
TURMELLE DECOROS ET PROPHETICAS ET QUINTILLAR

PATRONIS PRÆCIPUIT AEGAEI  
SAGITTARIUM DEDICAVIT

PRO EGYPTIA DOCT

HIERONIMUS HINCERIO

JOANNA MAGDEBVRGENSIS

JOANNA CHRISTIPIPI TIGELI AKAU TIGELI



Q. D. B. V.

## PRAEFATIO.



omnianis omnium fere hominum  
consuetudo est, ut illud pro mor-  
bo declarent, quod maxime in  
quauis parte dolet: quare in  
denominatione morbi tam par-  
tem, ubi dolet, quam doloris ipsum sensum ad  
conceptum suum exprimunt. Inde a plebe ridi-  
culae nonnunquam et male applicatae audiuntur  
morborum descriptiones, quae partium interna-  
rum situm et structuram vel plane non vel peruersè  
intelligit, et sensationes suas, in partibus obscu-  
rius

rius perceptas, incomplete admodum explicat. Sed, quod magis mirum, Medici nonnunquam, qui artis peritos sè profitentur, de morbo insufficien-  
tem non numquam dant explicationem; nam vel  
symptoma morbi vel effectum illius pro ipso morbo  
intuentur. Vnde saepius contingit, ut plures, si  
vnius aegroti salutem in se recipunt, morbum  
eundem variis nominibus non solum insigniant, sed  
et in caussis illius indagandis sententiae admodum  
sunt diuersae. Non negari quidem potest, morbos  
omnino dari, quibus nomen inuenire Medicis plu-  
rimum facessat negotii; cuius rei caussa in eo pro-  
cul dubio posita est, quod diuersitas subiectorum,  
diuersimode viuentium, diuersam quoque morbo-  
rum exhibeat faciem; conf. BARCHVSEN de  
medicinae origine et progressu dissertationem  
Utam: et quamquam concedam, aegro vel parum  
vel nihil omnino nocere, si morbi sui conditionem  
ignoret, omnium tamen vilissimorum quoque bo-  
minum ea est indoles, ut curationem in se non fa-  
cile prius admittant, quam genium et naturam  
morbi, a Medico, cui sè curandos exhibent, di-  
dicerint. Neque errant, qui, ad HIPPOCRÁ-  
TIS effatum libro de arte, contendunt, Medicum,  
qui veram indolem morbi non perspiciat, eiusdem  
quoque curationem nullo modo praestare posse.  
Qua-

Quare necesse omnino est, ut, qui artem salutarem profitetur, morbi cuiuscunque veram conditionem rite pernoscat, utpote quae cognitio tuisissimam ipsiviam, ad sanitatem corpus reducendi, monstrabit. At haec cognitio latioris saepe ambitus est, quam plurima pars hominum cogitat, et in Medico eorum omnium, quae tam ad salutem hominis quam ad perniciem eiusdem aliquid conferre possunt, accuratissimam cognitionem requirit; quam, si non possidet, rationem suae methodi curandi minquam dare poterit, et contra HIPPOCRATIS <sup>vōνον</sup>, ignorantia et incertitudine famam artis perdet. Sed cognitio morbi fundamentalis vera quoque esse debet, et ita comparata, ut quemuis morbum ad primas suas radices reducat, et ostendat, quomodo natus, et quibus mediis auctus sit, aegrumque pariter ac alios prudentiores de nexu concatenato rerum atque de scientiae suae certitudine conuincat, Itaque operae pretium fore iudicati, si specimen inaugurale meum thema istud exsolueret: quod veram morborum diagnosin tanquam certum therapiæ fundamentum exhibet; quam tractationem de meliori lectori beneuolo commendo.

DISSERTATIO IN AVGURALIS MÉDICA

§. I.



i vera morborum diagnosis tanquam certum therapiae fundamentum statuitur, primo loco vera morborum diagnosis pernoscenda erit, vt deinde videamus, quo illa modo certum therapiae fundamentum constituant. Atque vt hanc cognitionem rite assequar, tribus momentis explicandum erit, primum quid sit *morbus*, tum quae ad eius diagnosis, tandemque, quae ad veritatem eiusdem diagnoseos requirantur.

§. II.

Quid *morbus* sit, adeo diuersimode a scriptoribus medicis definitur, vt vix duos reperias auctores, in definitione morbi omnimode consentientes. Maxima vero inter eos discrepantia inde oritur, quod morbus ab iisdem iam pro *materia morboſa*, iam pro *motibus*, eidem materiae noxiae oppositis, accipiatur, quae ambae res adeo diuersae sunt indolis, vt meo quidem iudicio nunquam sub uno genere comprehendendi possint.

§. III.

Si quidem, qui morbum simpliciter per statum hominis praeter naturalem definiunt, vt FERNELIUS in *pathologia sua* pluribus locis fecit, non solum rem latius, quam par est, exprimunt, siquidem exempli cauſa *spiritus anhelitus*, veloci cursu contractus, statum quidem hominis praeter naturalem, non tamen morbum efficit; sed etiam nihil aliud, vt mihi videtur, dicunt, quam quod morbus status hominis sit non sanus, ideoque definitionem magis negatiuam, quam positiuam admittunt, quam proinde non prius assu-

DE VERA MORBORVM DIAGNOSI CERTO CETO.

assumendam, quam expositum fuerit, quid per statum hominis sanum sit intelligendum.

§. III.

*Sanus* homo dicitur, non qui facultatem modo habet, actiones humano corpori conuenientes legitime exercendi, sed qui *easdem* quoque *actu exercet*, ad quod, cum non solum partium fluidarum debita mixtio, et ad partes solidas rite conformatas iusta proportio, sed et motuum omnium legitima ac temperata administratio requiratur; tum alii statum hominis morbosum in mala fluidorum corporis nostri mixtione, alii in laesa proportione partium fluidarum et solidarum, alii in naturalium, vitalium et animalium motuum laesione quaefuerunt. Conf. BARCHVSEN *de origine et progressu medicinae dissertationes.*

§. V.

Sed, si rem rite pensitemus, nemo sane hanc fluidorum debitam mixtionem et ad partes solidas iustam proportionem, cum motuum legitima administratione, ad sanitatem necessaria, rite determinare poterit; nam diuersitas corporum viuorum, tam ratione mixtionis, quam structurae, adeo eximia est, ut quod in altero sanum dici potest, alteri nocuum esse deprehendatur, quid? quod Medicorum multi neminem perfecte sanum dici posse iudicauerint. PITCAR-  
NIVS in *Element. medic. proposit. 74. definit. 30.*

§. VI.

Accedit ad hoc, quod, cum in quoquis morbo tam materia peccans, quam motus molesti ad sint, magnum omnino discrimen intercedat inter materiam morbosam et motus eidem oppositos; prior enim aperte homini detimento est, et interitum nonnunquam eidem affert; posteriores vero, licet quandoque irregulares, cum materiae nociae e diamet-

8. DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA.

treo sint oppositi, salutem hominis ubique respiciunt. *Vid. STAHLII dissertatio, de autocratia naturae.*

§. VII.

Iraque, si, quod verum est, fateri debeamus, materia morbosā sola morbum constituere deberet, eiusdem quoque definitio sola vera morbi foret definitorio. Haec vero saepissime adeo abstrusa atque abscondita, ut aciem oculorum acutissimorum effugiat, unde factum est, ut in plerisque casibus morbus non a materia morbosā, sed ab eiusdem effectu, vel a motibus, eidem oppositis, sit denominatus.

§. VIII.

Si propterea media quasi via incedunt, qui morbum ita definiunt, ut, quicquid statum hominis sanum, hoc est, legitimam ac temperatam omnium functionum vitalium, naturalium et animalium administrationem laedit, illud morbi nomine insigniant; sed illud quicquid penitus noscere, est, quod ad perfectam morbi cognitionem omnem paginam confert.

§. VIII.

Quemadmodum verissimum est, *materiam morbosā* primario actiones corporis laedere, in iisque turbam excitare; ita nemo inficias ire poterit, *motus* quoque eidem contrarios saepius actiones tam naturales et vitales, quam animales multum turbare, cum in nonnullis exemplis palam sit, *motus* materiae morbidae aliquando minus proportionatos esse, atque vel vi sua excedere vel ab eadem remittere. Hinc iure non immerito *motus* morbo oppositi nomen ipsius morbi quandoque promerentur, tanquam causae, corpus humanum magis offendentes, quam salutem eiusdem obtinentes. Adeatur STAHLII *Theoria medica vera.*

§. X.

## §. X.

Scitissime haec omnia ad morbum requisita *Illustris PRAESES* in descriptione sua morbi expressit, *Conspectus Patholog. Tab. I. pag. 1.* HOFFMANNVS paullum vberius enarravit, *Medicin. ration. systemat. tom. II. part. I. cap. II. §. 3. 9.* BOERHAVIVS vero breuissimis exposuit, *de cognoscendis et curandis morbis Aphorism. I.* simpliciter scribens: *Omnis conditio, quae actiones vitales, naturales vel et animales laedit, morbus vocatur, sub qua voce, conditio, miro artificio tam materiam morbosam, quam motus morbosos abscondit.*

## §. XI.

Quodsi vero quaevis laesio actionum humani corporis morbum inferat, multo maiorem morborum numerum habemus. quam qui hucusque in Medicorum scriptis designatus est, immo nullum ferme diem sine morbo transigemus; adeo, vt magis mirum videatur, quomodo hominis vita tot annorum seriem perdurare, quam per funestam mortem abrumpi possit. *Vid. STAHLII Theoria medica vera pag. 613. et D. MEAD. in introductione ad monita et praecepta medica pag. 6.*

## §. XII.

Quamuis autem morborum infinitus fere numerus inde existat, omnes tamen ac singuli, ab uno quasi fonte et scaturagine, tanquam riuuli, procedunt, et ad horum modum in initio leuiores semper, longiore temporis tractu vires eundo acquirunt, et tam vehementi impetu se manifestant, vt in declivia semper ruituri, ad praecipitem saepe exitum hominem protrudant.

B

## §. XIII.

## §. XIII.

Communis iste fons, a quo omnes in corpore prognati morbi deruantur, oritur ex ipsa humorum massa, quae, quam diu per congruas secretiones in corpore humano rite consumitur, abundantia sua eidem minime nocere potest; simulac vero tanta eiusdem copia in homine coaceruatur, ut ad dictos visus se- et excretorios impendi nequeat, homini molesta esse incipit, hinc inde exitum tentans, et sic primum morborum gradum efficiens, adeo, ut secundum HIPPOCRATEM, rerum medicinalium obseruatorum vetustissimum aequa ac accuratissimum, *habitus corporis athleticus*, summum sanitatis constituat fastigium, a quo in morbum delapsus maxime sit proclivis. *Aphorism. 3. Sect. I.*

## §. XIII.

*A nimia sanguinis copia* idem ille non solum *spissior* enadit, et partes *solidas* tum demum moleste afficit, vasa distendendo, premendo eademque obstruendo, sed et in mixtione sua turbatur; dum partes eiusdem fluidiores cum reliqua humorum massa non rite subiectae, hinc fluxiones serosas, illi ac obstructions mucido-viscidas progignant, simulque omnia se- et excretionum genera corrumpant, atque sic mox huic, mox alii corporis parti tam ignobiliori, quam nobiliori, tantam labem inurant, cui extirpanda ne prudentissimi quidem naturae motus, eidem oppositi, et per Medicum, naturae ministrum, congruis remedii sufficiunt, sufficient.

## §. XV.

Equidem aeger, si illum de morbo aliquo conquerentem audias, narrabit tantummodo, quid et ubi doleat; causam vero istius mali rimari, est quod Medico maxime incumbit; idque eo magis, quum multi aegroti vel plane non veram

DE VERÀ MORBORVM DIAGNOSI CERTO CET. XI

ram morbi sedem et conditionem explicare possint, vel per-  
uerfa indicent, et Medicum nonnunquam sua narratione lon-  
gissime a vera morbi origine ad ~~αλλοτε~~ auertant; id quod  
suo iam tempore pluribus inculcauit HIPPOCRATES in li-  
bro de arte. Quare necesse esse arbitror, vt quid ad morbi  
diagnosin requiratur, porro examinetur.

§. XVI.

Antequam vero hoc a me praefetur, significandum  
prius erit, me, de morborum diagnosi tractaturum, rece-  
ptum in medicina usum sequuturum esse; in qua morbus  
tam *materiam morbosam*, quam *motus* eidem oppositos in-  
cludit: quod eo lubentius facio, quoniam utriusque cogni-  
tio ad morbi diagnosin maxime necessaria est.

§. XVII.

Morbi diagnosis requirit eiusdem completam et ad-  
aequatam cognitionem. Clara morbi cognitione Medico non  
satisfacere potest, qui in eo se ab empiricorum aliorumque  
medicastrorum sordida plebe se distinguere debet, vt non  
solum hunc vel illum morbum aegri clare pronunciare pos-  
sit, sed et distinctam habeat eiusdem cognitionem, vt scili-  
cer eundem ab aliis, ipsis similibus, rite discernere possit.  
Exemplo sit colica, seu spasmodica ventriculi et intestino-  
rum contractio: sane hic non sufficit, clare hoc pathema  
cognoscere, sed et eius, qui veri Medici nomen tuetur, in-  
terest, vt eundem ab aliis motibus spastico-abdominalibus  
distinguere possit.

§. XVIII.

*Completam* morbi cognitionem ad eiusdem diagnosin  
desiderauit: sub qua completa cognitione comprehenditur,  
vt quis non alias solum notas calleat, quibus unam rem  
ab altera distinguat, quaeque ad distinctam cognitionem suf-  
fice.

ficere possunt, sed ut omnes simul notas characteristicas teneant, quae ad discernendam aliquam rem ab alia aliquid facere possunt, per *praecepta logices*. Hinc Medicus, ut exemplo utr, qui aliquas notas nouit, quibus *phthisis* ab alia quacunque corporis macie disiungere potest, distinctam quidem phthiseos habet cognitionem, completa vero eiusdem is demum gaudebit notitia, qui omnes ac singulas notas, quibus phthisis a quacunque corporis extenuatione reedit, enumerare valet.

### §. XVIII.

Ad adaequatam morbi cognitionem requiritur, ut praeter omnes notas morbi distinctivas clare cognitas, harum notarum distincta quoque adsit cognitionis, quae morborum singulorum notas ab aliis morborum signis sufficienter distinguere valeat. Exemplo fit *febris catarrhalis*: cuius adaequata cognitionis erit, quae illorum omnium signorum, hanc febrem ab aliis febribus acutis discernentium, notas singulas adeo distincte perspicit, ut eas ab aliis acutarum febrium signis, catarrhalibus parallelis, exacte disiungere possit.

### §. XX.

Quum omnis morbus statum hominis sanum alteret et perturberet, qui quis facile intelligit, ad morbi diagnosis completam et adaequatam status hominis sani cognitionem multum conferre, adeo, ut, quo accurateori aliquis eorum, quae ad sanitatem pertinent, gaudet notitia, eo felicius completam et adaequatam morbi cognitionem acquirere possit. Cumque ad sanitatem omnium functionum vitalium, naturalium et animalium iusta ac temperata requiratur administratio, conf. §. IIII. tum ut harum omnium ac singularium completam et adaequatam notitiam sibi comparet necesse est, qui in morbi diagnosi felix esse cupit.

### §. XXI.

§. XXI.

Porro quia res, quae sub nomine *non naturalium* in medicina norae sunt, magnum ius in sanitate conseruanda eademque turbanda sibi acquisuerunt, requiritur omnino a Medico, ut harum quoque qualitates, complete et adaequate, quantum fieri potest, intelligat, si ad morbi diagnosis sufficientem peruenire cupit.

§. XXII.

Neque minus ad morbi diagnosis confert, tam praesentem morbi statum, iuxta principia modo tradita, rite nosse, quam totum morbi ambitum ad hanc regulam peruidere, et perspicere, ex quo fonte, quo tempore, qua occasione morbus prognatus, quibusque mediis in progressu suo austus sit, et peioris euauerit indolis, etc. atque haec omnia non superficiaria, sed, quam supra iam descripsi §. XVIII. XVIII. completa, er quoad vires humani intellectus permittrunt, adaequata cognitione.

§. XXIII.

Quae, cum ita sint, ostendunt, quam late extensi sint morbi cognoscendi limites, quaque profunda a Medico requiratur cognitio, et quam pessime iudicent ii, qui hanc artem leuioris momenti aestimant, nec dubitant, sanitatem suam imperitissimo cuius homuncioni aut aniculae cuidam ad fallendum natae, concredere, et cum sanitatem vitam potius perdere malunt, quam consultationibus Medici aliquius, artem ex aequo aestimantis, aures praebere. Ea enim cognitio Medicum prudentem, a quouis alio, hanc artem proteruo ausu exercente, vnicet et verissime disiungit.

§. XXIII.

Accedit, quod in ipsa morborum inquisitione tam graues occurrant errores, quos tanquam toridem scopulos euitare debet, qui in veritate adipiscenda felix futurus

erit. Neque enim negare possumus, prudentem Medicum summam adhibere oportere curam, ne falsum cum vero commutet, et falsae morborum diagnosis instabilem superaddat therapiam. Hoc ut luculentius patesiat, quanta fieri potest breuitate ostendemus, qua via et quo modo ad veram morbi diagnosis peruenire possimus, ut hac semita ducti, scopum exoptatum salutis hominum recuperandae assequamur.

## §. XXV.

*Verum* est id, quod ira est, vti videtur; cui falsum e contrario oppositum est; *verum apparenſ* est id, quod verum quidem esse videtur, non tamen est, *per praecpta metaphys*. Omnis cognitio nostra, praesertim ea, quae corpus humanum viuum pro obiecto habet, quum per sensus acquiratur, maxime a nobis caendum est, ne in illud vitium incurramus, quod *sensuum fallaciam* vocant logicae scientiae periti, et aliquid pro vero declaremus, quod accuratius examinatum non ira se habet. Inde quoque perspicitur, quomodo fieri possit, vt vna eademque res a nonnullis iam tanquam vera propugneretur, iam ab aliis tanquam falsa aut faltem appareenter vera repudietur, quoniam scilicet non omnes eadem oculorum acie idem obiectum intuentur.

## §. XXVI.

Multa quidem inter eruditos de *veritate medicinae* generatim eiusque partium speciatim, ad quas morborum diagnosis simul pertinet, disputata sunt: nam, praeter artis osores, manifeste maledicentes, quos omnibus temporibus habuit medicina, nonnulli quoque fuere, qui vanitatem et falsitatem artis ex ipsis Medicorum scriptis, ubique sibi contradictibus, ostendere allaborarunt; *vid. SINAPII absurdia vera, seu paradoxa medica*. Sed e contrario alii summam in medicina certitudinem admiserunt; sic D. GAVKES dissertationem conscripsit de medicina ad certitudinem mathe-

mathematicam euebenda. Nos autem media tutissimi incedemus via, si veritatem quidem in medicina admittimus, eamque ad illud fastigium, quod vires intellectus humani permittunt, promouemus, simul tamen concedamus, accuratissimam alicuius rei demonstrationem mathematicam per experientiam multories infringi.

§. XXVII.

Verissimum propterea est HIPPOCRATIS effatum: *Experimentum fallax, iudicium difficile Aphorism. I. Sect. I.* et hodierna quoque experientia confirmatur; licet ab eodem auctore tales obseruationes et regulae practicae nobis sint relatae, quae nostris quoque temporibus iusta applicatione viles esse et veritatem medicinæ immutaram ostendere possint. Illud vero eam ob caussam praemonendum esse censeo, ne quis temere veritatem huius vel illius rei in medicina pronunciet, antequam per omnimodam experientiam, iusto rationis visu sufficiam, de eadem sufficienter sit conuidus.

§. XXVIII.

Vera morborum diagnosis, praeter completam et adequaram eorum omnium, que ad morbum aliquid faciunt, cognitionem, quam supra §is XVIII. XXII. postulaui, veritatem quoque desiderat; hinc speciosissimæ quaevis et ingeniosissimæ demonstrationes, si veritati repugnant, nullius sunt valoris, sed tanquam hypotheses, ad veritatis lancem pensitatae, levitate sua evanescunt, vti CARTE <sup>materia</sup> *aetherea*, antehac doctissime defensa, nunc vero abiecta et explosa, exemplo suo docet. Pari modo morbi alicuius cognitionis, licet pro completa et adaequata ab auctore quodam venditur, si per experientiam veritas ipsius non comprobatur, ne nomen quidem cognitionis morbi promeretur.

§. XXVIII.

## §. XXVIII.

In omni morbo tam ad *materiam* morbosam quam ad *motus*, eidem oppositos, attendendum est §. VI. Illa in corpore humano multo ante delitescere potest, quam per motus varios oppugnata ab aegroto sentitur, ipsumque variae molestae corporis afflictiones de eiusdem praesentia conuincunt. Et quando ex variis pathematibus, quae actiones suas perturbant, aeger colligit, aliquid corpori suo inesse, quod sibi noceat, illius tamen rationem et indolem non perspicit, solus autem Medicus prudens ipsi explicare potest.

## §. XXX.

*Materia* morbi ubique fere et semper in partibus *fluidis* reperitur, et si nonnunquam in partibus *solidis* morbi materies ac fomes haereat, natalia tamen sua partibus plerumque fluidis debet. §. XIII. Peccant istae generaliter duplii tantum modo, scilicet nimia sua copia et mala mixtione. §. XIII. Fluidorum *penuria* rarius occurrit, nisi quidem per enormes haemorrhagias aut alias excretiones nimias inducta sit, in quo casu vero magis ut morbi effectus, quam ut morbus per se intuendus est. Medicus ergo in omni, et leuissimo quoque sibi oblato morbo, ad partes corporis fluidas potissimum oculos suos dirigere debet, ut per noscat, an in abundantia earum sola ac generali, vel in exsuperante aliqua particulari, et inde pendente mala earundem mixtione vitium morbi materiale situm sit.

## §. XXXI.

Sed humorum abundantium veram praesentiam diaeta et vitae genus aegroti edocebitur. Nam si aegrotans cum lauta atque opipara diaeta, quae gulae et stomacho nimium indulget, vitae genus otiosum et sedentarium coniungit, alter

aliter fieri non potest, quin humorum abundantia in corpore augetur, et corpus ipsum nimis aggrauetur, partes illius solidae praeter modum distendantur, aliae obstruantur, atque huic vel illi se- et excretioni necessariae obex ponatur, et sic omnium, fere morborum mater in sinu suo noxie alatur. Nec semper vietus optimus solus ad hanc humorum copiam confert, dum vilius quoque cibus, per motum corporis sufficientem ad necessarias excretiones non consumtus, humores simili modo adauger, et ad excitandos morbos idoneos facit. Conf. BOERHAVE de cognoscendis et curandis morbis aphorism. 166. 3).

§. XXXII.

De haemorrhagiis quidem nemo facile dubitat, quin earum causa materialis in humorum abundantia sita sit. Nam licet aliqui acrimoniam, vasorum orificia minima corrodentem et sic haemorrhagias promouentem, ad TAKENII, SYLVII et WILLISII placita, statuant, dudum tamen experientissimi viri, ratione et experientia ducti, illam pathologiam refellerunt. Profecto nihil magis acrimoniae falsam hypothesis in hoc casu arguit, quam ipse aegrotorum sensus, qui sanguinem cum impetu, a partibus remotis ad locum effluxui destinatum ferri, moleste satis percipiunt. Praeterea si acrimonia sola in causa esset, et orificio tenuis eroderet, per globulum sanguineum adactum facile posset obstrui, et haemorrhagia non diu perduraret; maiore autem apertura per erosionem facta, sine intermissione, ad interencionem usque aegri, sanguis proflueret.

§. XXXIII.

Sanguis vero, per haemorrhagias effluens, non spissior esse debet, quam qui vascula minima penetrare possit, nec partium solidarum tonus tam infirmus, ut sanguinem

C

ad

ad loca destinata non propellere valeat; in priori enim casu molimina haemorrhagica absque effectu salutari producentur, in posteriore vero sanguis, vasa hinc inde nimium extensis, lentaque cursu prouolutus, passim cauſam dabit obſtructionum modo leuiorū modo grauiorū.

§. XXXIII.

Impeditus itaque aut suppressus haemorrhagiarum naturalium prouentus primam et principalem omnium congeſtioneſ in corpore humano cauſam constituit, et hac ratione *pletboram*, tanquam cauſam materialem congeſtioneſ manifestam generat. Possemus hoc per omnes congeſtioneſ ſpecieſ figillatim demonſtrare, ſi illud anguſtiores diſertationiſ limites permitterent; fed ſufficiat hoc loco ea-rum cauſam materialem generaliter indicate, ſpecialia au-tem cauſarum ſedulus obſeruator ex iis facile deriuabit.

§. XXXV.

*Congeſtioneſ* obſtructionem vafis alicuius, vel plurium ſimul, ſupponunt. §. XXXIII. Sed cum haec obſtructio, vt cum BOERHAVIO loquar, *ex magnitudine molis fluxu-rue* oriatur, *Aphorism.* 108. *de cognosc. et curand. morb.* ſpiſſiorem et magis condensatum fanguinem earundem cauſam eſſe, nemo non videt. Accedit in hoc morborum ge-nere ſaepiſſime error loci, conf. BOERHAVIVS *libro citato* §. 118 dum sanguis vel ad partes efluxui vicinas propellitur, (vt in capite ad maxillas et aures, qui per nares protru-di-deberet,) vel ad partes a loco ad efluxum deſtinato remo-tiores, e. g. quando sanguis, per menses aut haemorrhoi-des excernendus, ad ſuperiora retropellitur, ibique hinc inde varias partes opplet et diſtendit, quarum tenſio grauis et acuta acerbiorem congeſtioneſ ſpeciem efficit, *rheuma-tiſmi* nomine inſignitam.

§. XXXVI.

## §. XXXVI.

Progedior ad *spasmos*, quorum caussam materialem veram indagare mihi incumbit. Spasmi ordinarie congestio-  
num sunt pedissequi, iisdemque vel socii vel succedanei, eam-  
que ob rationem vnam eandemque caussam materialem habe-  
re vero simillimum est. Namque is, cui congestionum in-  
doles perspecta est, probe nouit, in quauis congestione ex  
aduerso partes solidas constringi, vt scilicet per hanc stri-  
eturam spasticam sanguis spissus et viscosus eo melius per  
vasa, quibus inhaeret, transprimatur. Atque ita censemus,  
plethoram, praecipue spissam, generalissimam, licet non uni-  
cam, spasmodorum exhibere caussam materialem; quod adeo  
verum est, vt duae foecundissimae spasmorum matres, atro-  
phiam puto in infantibus, et famosum malum hypochon-  
driacum in adultis, a sola nimia humorum copia, qui spis-  
titudine et tenacitate sua teneriora mesenterii vasa immo-  
tum systema vasorum venae portae obstruunt, originem  
suam capiant et incrementum. Conferenda hic sunt, quae  
ILLUSTRIS PRAESES Conspectu Pathologiae Tab. IX. pag.  
130. de rhachitide non minus erudite quam vere proposuit.  
Nec inepit hoc quadrant, quae in FRID. HOFFMANNI  
Fundam. patbol. general. Sect. I. cap. IV. §. 22-25. inue-  
niuntur.

## §. XXXVII.

Occurrunt vero quandoque spasmi, ab humorum in-  
opia, aut eorundem qualitate vitiosa, aut ab alia caussa exter-  
na irritante, manifestam originem ducentes, HIPPOCRATES  
*Aphorism. 39. Sect. VI.* quod nequaquam negandum, sed  
tamen certissime affirmandum, inopiam aut aliam vitiosam  
qualitatem humorum, spasmos inducentem, saepissime nimiam  
eorundem abundantiam excipere; aut si a caussa alia externa

spasmi proritentur, eorum grauitatem a plethora spissa accedente multum augeri, eaque non sublata diutius perdurare. Quare et in spasmis materiam peccantem generaliter in humorum copia superflua quaerere, est, quod ad veram spasmorum diagnosis pertinet.

## §. XXXVIII.

Quod ad febres attinet, eas quidem variis materiais peccantibus oppositas esse, nemo est, qui ignoret. Sed per facile erit, eas fere omnes ad communem materiae peccantis fontem, nempe ad plethoram reducere. Nam sicut febres habemus, imminuendo sanguini vnicce destinatas, quae continentes audiunt, ita febres inflammatoriae et catarrhales, immo et lentae cum hecticis, ex plethora spissa commota, atque hinc vel illinc in vase aliquo, aut pluribus simul, obstructionem et stasin efficiente, potissimum oriuntur, simili ferme modo, quo congestiones ex eadem origine deriuauit.

§. XXXIII. XXXIII. Vid. FR. HOFFMANNI Fundamenta patholog. general. Sect. I. cap. IV. §. 21. Neque minus febres malignae, quales sunt purpura alba, variolae, morbilli, petechiales, immo febres pestilentiales, si de hac caussa materiali participant, detinimentum maius corpori afferunt: licet enim ex aere aut aliunde, aliquando se corpori insinuant, periculosiores tamen semper euadunt, quando plethoram commotam sociam habent, id quod obseruationes celeberrimorum testantur practicorum per experientiam stabilitae. Vid. STAHLII dissertatione de erroribus practicis, circa contagiosarum malignarum febrium curationem euitandis.

## §. XXXVIII.

Atque hoc non solum de febribus, quas vocant acutas, valer, sed etiam ad febres varias intermittentes applicari potest. Eae enim vitium materiale vel in primis vel in secundis

dis chylificationis viis habent, quod ex eo potissimum oriri iudicare licet, quando quis plus ingerit, quam egerit, vel, quod idem est, molem partium nutrientium ita auget, ut par-tim non ovines in succum et sanguinem laudabilem conuerti valeant, ac proinde in primis viis restitantes, materiem febri-lem quotidianarum et tertianarum intermittentum constituant, partim novo semper et quotidiano recentium partium alibilium appulsu vias secundas, vasa chylifera et lactea, cum connexis vasibus venae portae, adeo infarciant et obstruant, ut ad eiusmodi obstructionis reserationem diuturnus febris quar-tanae labor nonnunquam requiratur. Conf. Illastr. PRAESI-DIS *Conspect. Therap. speciali Tab. LXXXI.*

## §. XXXX.

Morbi *lymphatico-servi* aperta quidem qualitatis humorum depravatae indicia praefeferunt, illam tamen qualitatem vitiosam plerumque a sanguine spissso prius nocti sunt, quam in eiusmodi pessimum sui habitum degenerarunt. Testatur hoc FR. HOFFMANNVS in *Fundament. pathol. gene-ral. Sect. III. Cap. VIII. §. 35.* Sic et morbos, quos in primis viis praecipue reperies, in nullo, vel in paucissimis deprehendes, qui assumta quovis die alimenta, quotidiano, eoque suf-ficiente, corporis motu, rite consumunt, adeoque a plethora spissa sunt immunes.

## §. XXXXI.

Haec de diagnosi *materiae* morborum vera generali-ter dixisse sufficiant; quae materiam peccantem si non in omni-bus, in plerisque tamen morbis unam eandemque esse statu-unt, eo cum discrimine, ut in aliquibus causa morbi propior, in aliis remotior existat, atque ita de veritatis unitate et sim-plicitate satis superque reflantur. Sequitur, ut *motuum quo-que*, in morbis occurrentium, veram diagnosis subiungam; ii

enim aegro maxime molesti esse solent, qui illorum absentiam  
anxie cupit, de materiali morbi caussa parum sollicitus.

§. XXXII.

Si de vera motuum diagnosi differendum est, tum compleram et adaequatam eorundem cognitionem, qualem §. XVII XVIII. descripsi, suppono. Necesse itaque est, ut qui veram motuum diagnosin assequi cupit, omnes ac singulos quorumuis morborum *motus*, complete, id est, in toro eorum nexus distinet et adaequate cognoscatur; quo pertinet, ut diuersos vehementiae motuum *gradus* probe dignoscatur, quid per vim illorum effici possit nec ne, apprime calleat, adeoque proportionem, quae inter materiam mouendam et motus ipsos intercedit, iusta pensitatione aestimet, et sic nihil praetermittat, quod ad motuum scientiam aliquid facere possit. Vid. STAHLII *Theoria vera medica*, FR. HOFFMANNI *Fundament. Pathol. general. Sect. I. cap. III. §. I.* Ex iis enim omnibus, simul summis, veram demum eorumdem exstruet diagnosin, quam nunc pro viribus per generales morborum titulos ostendam.

§. XXXIII.

Antequam autem hoc fiat, summe necessariam distinctionem praemittendam esse arbitror, quae molestos sensus, a materia peccante oriundos, ab iis motibus, qui a via interna motrice naturae dependent, disiungit. Piores, partes solidas grauitate et mole sua premendo, distendendo et obstruendo, aut qualitate sua praua easdem irritando, vellicando et similibus modis se exserunt; posteriores viuido partium fluidarum circuitu et impulsu, atque aucta partium solidarum contractione se manifestant. Piores proprie non *motus* sed *sensus* morbidos appellare debemus, posteriores, licet salutarem suam non semper assequantur, saluti ramen homini-

hominum recuperandae vbius sunt destinati, ac propterea salutares dicendi, vnde CELSVS *libr. I. cap. I.* illos aduersae valetudinis *praesidia* summo iure vocauit. Hanc distinctionem ideo nosse oportet Medicum, vt perspectum habeat, quibus motibus per remediorum usum obuiam eundem sit, vt auertantur, quosue congrua artis applicatione adiuuare debeat.

§. XXXIII.

Totum *hamorrhagiarum* agmen variis stipatum est motibus, sanguinis fluxum tam antecedentibus quam concomitantibus ipsum et subsequentibus. Nonnullae quidem haemorrhagiae, aegris vix sentientibus, proueniant, et hae, nisi per periculosa loca eueniant, vix morbi nomen merentur; quando vero perruptio earum difficulter procedit, aut quando locus eruptionis earum non adeo securus est, quando denique nimis diu perdurant et propter maiorem sanguinis copiam effusam hominem debilitant, tunc demum aegro varios motus molestos creare incipiunt. Eorum motuum, seu accuratius sensuum, qui a materia morbifica, scilicet a sanguine abundante, producuntur, nulla est utilitas, sed tantum molestam saepissime grauitatem totius corporis partibus, maxime vero iis, per quas transprimi debet, inducit, HIPPOCRATES *Aphoris. 5. Sect. II.* Illi autem motus, qui salutares dici merentur, a naturae vi dependent, et sanguinem ex partibus remotioribus, ad eas, quae ad exitum ipsius destinatae sunt, dirigunt, atque continuato semper vel per intervalla appulso eiusdem imminutionem respiciunt. Quam motuum singularem directionem si Medicus non in horum morborum diagnosi agnoscat, certissime vapulabit. *Conf. Illustr. PRAESIDIS Confpect. Pathol. Tab. VIII.*

§. XXXV.

Eodem modo res se habet in congestionibus: *sanguis enim*

enim spissitudine sua vasa minora hinc illinc obstruens, extumque sibi praeccludens, praeter dolorem grauatum, quem partibus infert, eadem quoque mirum in modum distendit, et quidem eo grauius, quo acrior per moram factus est, et quo sensibilioribus partibus infixus haeret; sed stricture partium, a loco affecto dissitarum, cum sanguinis circuitu plerumque aucto, a vi naturae efficaci exercetur et promouetur, per quem laborem, continua noui sanguinis allisione, moleculam post moleculam ex loco, ubi incarceratus haeret sanguis, auehere, et per alias excretionum vias amandare, sanguinemque priori libero circulo restituere natura intendit. Primus STAHLIVS congestionum naturam dilucide explanauit, in sua *theoria medica*, cuius mentem vberius exposuit *Illustris. PRAESES in Conspectu Patholog. Tab. IX.*

§. XXXVI.

Spastici motus vnice ab energia vitali dependent. Nam si leues illas acrum materiae peccantis partium rosiones, fibrillulas nerueas vellicantes consideres, illae a spasio longissime absunt; qui sane motus a materia peccante nunquam praefesti potest. Contraictio enim musculi cuiusdam, aut partis alius membranosa et tendineo-neruosae, a nulla materia perfici potest, sed ab animae vi, corpus inhabitantis, dependet, quicquid de influxu fluidi neruei aucto aut alio quoconque intermedio loquantur alii. Vid: FR. HOFFMANNVS *Medicin. Ration. systemat. Tom. I. part. III. cap. II. §. 4. 5.* et BOERHAVE *de cognoscend. et curand. morbis aphorism. 1074.* Nam si spasio, in homine violenta morte peremto, post mortem aliquamdiu adhuc perdurantes, opponunt, sibi ipsis vim inferunt, cum eodem quoque momento influxus fluidi neruei cesseret, et experientia in contrariam partem testetur, in homine, sub qualicunque morbo extin-

extincto, nullum post mortem animaduerti spasmum. Spasmos itaque plurimos, et eos, per quos salutaris finis obtinetur, et illos, qui eidem fini magis obsunt, quam profund, ab ista vi interna deriuamus, quae vitam hominis ac sanitatem maximopere tuerit.

### §. XXXVII.

De febribus nemo ferme dubitat, totum illarum ambitum ad motus naturae referri debere. Materia enim, qualisunque demum fuerit, neque tantum motuum apparatus, quantus in febribus obseruatur, concitare poterit, neque motus istos statim temporibus et iusta periodo excitabit; id quod in omnibus febribus animaduertere sicut. Nulla hic obstructio circulum sanguinis augere, nulla materia tam acris atque diffusa, ut totum genus nervosum irritare, illosque motus producere valeat, qui febres comitantur. Omnes motus potius in his, vti in aliis morbis, a naturae energia dependent, quae, ab HIPPOCRATE morborum medicatrix nominata, *Epidemiorum libro VI. Sect. V. §. I.* in febribus adeo manifeste se gerit, ut et aduersarii motum salutarem directionem et finem in illis agnoscere nolentes volentes cogantur. FR. HOFFMANNVS in *fundament. pathol. general. Sect. I. cap. III. §. 37.* et BOERHAVIVS de cognoscend. et curand. morbis apboris. 558. Elegans hic commendari meretur tractatus Dni de SAVVAGES, de febrium canfis, qui ex gallico idiomate in germanicam linguam translatus et HALESII haemasticae annexus hic prostat.

### §. XXXVIII.

Morbi lymphatico-serosi illud quidem peculiare habent, quod motus in iisdem, ob minus periculum, segniores

D obser-



obseruentur, vel ex contraria parte a materia peccante nimia quasi obruantur, illorumque vis plane nulla sit, ideoque peioris indolis euadant; quare in casu posteriore funestum saepius exitum illi morbi nanciscuntur, nisi motibus sufficientibus excitatis materia peccans abigi possit. Sic quoque in morbis *primarum viarum* attendendi sunt naturae motus, qui, si motus se iungunt, faciliorem eius extirpationem pollicentur, si vero, propter laesionem aliquam internam, aut aliam caussam, negliguntur, morbi indolem faciunt deteriorem.

### §. XXXVIII.

Inde colligi quoque potest, cur morbi ex *motuum defectu* tam malae sint conditionis. Materia enim peccans, in iis praefens, per motus necessarios desideratos nec alterari nec auferri potest, proinde, si non in dies augetur, saltim corpori infixa haerebit, hominemque tandem trucidabit. Discriben interim hic bene notandum est inter motus a natura *intermissos*, aut plane *omissos*, et inter vires eiusdem motrices *amissas*. Nam longe aliter se res habet, cum viribus sub diuturno morbi labore amissis, quae nisi plenario exhaustae sint, antequam materia peccans ex corpore profligata est, facile resarciri possunt: sed si motus a natura omittuntur, nec materiali noxae praesenti opponuntur, aut si in medio certamine abiiciuntur, saltim suspenduntur, non solum tempus morbi producunt, sed et gravissimum nonnunquam periculum inducunt. In priore casu natura vires suas in expellenda materia noxia consumit et perdidit, quae vires eiusdem superans efficit, ut morbo grauiori, quam tollere non valet, tandem succumbat; in posteriore vero viribus ad morbi ablationem, vel plane non, vel insufficienter admodum, vtitur, et sponte quasi hosti arma tradit.

§. L.

§. L.  
Tantam potentiam quum habeant *motus* in corpore humano, multum sane intererit, auctorem horum motuum probe nosse, qui cum sit anima, corpus viuificans, tum ipsius vires indagare, ac proinde bonum metaphysicum esse, Medicum oportet. Dantur quoque aliqui morbi, in quibus magis *anima*, quam *corpus*, laborare videtur, et vbi vel nulla materia peccans sed sola mentis perturbatio adest, vel vbi materia peccans quidem adest, mentis autem motus modum materiae peccantis multum excedunt. Immo experientia satis edocemur, animum eiusque affectus in quosquis morbos permultum influere, de qua re videatur FR. HOFFMANNVS in *fundament. patholog. general.* Sect. II. cap. I. §. 9-38. Atque is, cuius animus affectuum celeriorem impetum temperantia quadam sustinet, motus morbosos multo temperatores experitur, quam alius, qui fecroci affectuum impetui habenas dedit laxiores. Conferri de hac re meretur egregia dissertatio D. GEORGI BAKER de affectionibus animi et morbis inde oriundis, *Cantabrigiae habita 1755.*

## §. LI.

Generalis haec est delineatio verae morborum diagnosticos, quam in vera *materie* peccantis et *motuum*, illi oppositorum aut opponendorum, cognitione consistere, per summa morborum genera breuiter ostendi. Haec duo enim faciunt, ut Medicus cognitione completa et adaequata morbum dignoscere, eidemque felicius succurrere, aut prognosi certa veritatem artis salutaris stabilire valeat. Inde enim veritas huius diagnosticos maxime elucescit, quod medicina, his principiis suffulta, euentum habeat Medici assertis

tis respondentem, quodque HIPPOCRATIS effatum verisimilium sit, libro de arte propositum: *Medicus, siquidem sufficerit ad cognoscendum, sufficiet etiam ad sanandum.* Interim hoc effatum in laesis visceribus restringendum est. Ut vero, quae huc usque dicta sunt, patescant, in altera dissertationis meae parte breuibus adhuc dispiciendum erit, quomodo haec morborum diagnosis, quam veram pronunciaui, certum therapiae ponat fundamentum.

## §. LII.

*Haemorrhagiae* quidem, si absque motibus molestis et per loca secura contingunt, medelae non opus habent, quid? quod nonnunquam necessariae sint et adiuuari debent. Interim illae, quando sanguinem abundantem suppunctione, et copia sua motus tonici vim superant, prius non promouentur, quam quantitatis per venaesectionem immunitio facta fuerit. Si vero sanguinis motum concitatorem habent coniunctum, et maiori copia profusae solidarum partium debilitationem minitentur, temperantibus placideque moderantibus et leniter tonicis tractandae sunt. Falluntur igitur ii, qui in hisce casibus, ob fictam acrimoniam, vasorum corrodentem, solam sanguinis correctionem respiciunt, imminutionem autem ac toni roborationem negligunt. Quare, quia intentioni naturae non satisfaciunt et sanguinis effluxum magis cohibent quam promouent, damnum aegroti, multo tempore vix reparandum, producere solent; quod adeo verum est, ut ad *niniām* quoque sanguinis profusionem discrete applicari possit. Vid. FR. HOFFMANNVS in *Fundament. pathol. general. Sect. III. Cap. VI.* §. 17, 18.

## §. LIII.

## §. LIII.

*Congestiones* ut auertantur, nihil magis conducit, quam sanguinis imminutio, et motus tonici vniuersi corporis aequale robur, atque particularis eiusdem excedentis temperatio. Ex eodem enim fonte cum haemorrhagiis scaturiunt, in eo autem ab illis discrepant, quod propter spissitudinem sanguinis, aut per loci, ubi haerent, rationem, effluxum materiae peccantis superfluae vel plane nullum, vel incompletum et particularem tantum, §. XXXIII. XXXV. et motus auctiores vehementioresque, quam haemorrhagiae, coniunctos habeant. § XXXXV. Itaque in his morbis accedunt duas indicationes specialiores, scilicet, ut praeter motuum excedentium temperationem et moderationem humorum spissitudo resolviatur atque discuriatur, et sic viae obstructae referentur, deinde ut materia stagnans aliorum ducatur, et per congruas excretionum vias ex corpore prescribatur. Fugata sic materia peccante, corpus per motum vniuersalem de nouo roborandum, et videndum, ne sanguinis copia iterum collecta nouum congestionibus porrigit nutrimentum. Vid. *Illustris PRAESIDIS Conspectum Therapiae specialis Tab. XVIII. XVIII.*

## §. LHL

In *spasmis* quidem omnis indicatio ad motuum spasmodicorum temperationem redire videtur, sed nisi cauflam materialem peccantem corpori substraxeris, omnis medicina, ad spasmos demulcendos admixta, nullum effectum edet. Optima igitur antispastica ea remedia erunt, quae cauflam materialem, quam potissimum sanguinem nimis spissum §. XXXVII. indicant, auferunt. Hinc haemorrhagiae artificiales, tempore paroxysmi remittentis admissae,

in his morbis eximiae sunt utilitatis; et si qui sunt, qui eiusmodi haemorrhagias artificiales spasmos nonnunquam augere contendunt, iis quidem contradicere nolo, simul autem asseuerabo, in tali casu vel non sufficientem sanguinis copiam esse emissam, vbi venae sectionis actus repeti debent; vel, si hoc factum certo constiterit, spasmodorum quoque vehementiam in dies mitiorem evasuram esse. Pari modo seres haber, vbi spasti propter aliam caussam materialem a natura excitantur; illam enim, nisi prius sustuleris, spasmos nunquam remouebis. Interim molestia illorum non plane toleranda est, sed adhibenda sunt temperantia et secura moderantia: neque negligenda sunt leniter tonica, maximeque ea, quae tonum vniuersalem corpori restituunt. Praestat hoc felicissime motus corporis voluntarius; nam si quis leuiores in pedibus aut manibus spasmum experitur, statim autem vel manum vel pedem aliquamdiu mouet, tum omnium muscularum simultaneo motu spastica vnius contractio intercipientur. Propterea nonnulli tantopere laudant *friktiones* modo vniuersales modo particulares, pro diuersa loci conditione instituendas. Videatur BOERHAVE *de cognosc. et curand. morb. aphorism.* 1489 1493.

## §. LIII.

Materia peccans in *febribus* diuersa diuersam quidem earundem indolem constituit, sed, vti §. XXXVIII. XXXVIII. ostendi, ex communi fonte plethorae semper fere propulsat; quare eiusdem imminutio febris curationem multum adiuuabit. Hinc in multis febribus venae sectio, in initio admissa, quandoque repetita prodest: inde alii abstinentia sola corpori nutrimentum et morbo vires sustulerunt. Atque ipsa natura, per omnes excretiones, in febribus saepissime auctas, cum adpetitus prostratione, sanguinis copiam

piam superfluam minuit. Et cum verissimum sit, febris vim, ante imminutionem quantitatis superfluae, et expulsionem qualitatis prauae intermixtae, nunquam infringi, facile inde coniici potest, in ipso labore febrili potius de-trahendae humorum copiae studendum esse, quam per varia nutrimenta augendae. Testatur hoc de ASCLEPIADE et THEMISONE, antiquioris aevi Medicis, CELSVS libro III. cap. VI. et ipse eiusdem sententiae est libro II. cap. XVI. et libro III. cap. II. Correctio interim materiae peccantis in febribus non dissuadenda est, sed utique cuiusvis februm speciei accommodata esse debet. De qua tamen re, cum ad specialiorem praxin pertineat, hoc loco non est dicendum.

## §. LV.

De februm motibus potius aliqua adhuc addenda erunt; qui, cum in omni febre materiae qualicunque expellendae destinati, et ad indolem cuiusvis materiae peccantis accommodati sint, §. XXXXVII. nunquam turbari, sed potius adiuuari et promoueri debent. *Van Swieten in Commentariis suis ad Aphorismos BOERHAVII Tom. I. §. 558.* idem postulat, dum in fine §i citati ita scribit: *Ex quibus ergo patet, non tantum requiri aliquando in morborum curatiobus, vt sibi relinquatur febris, sed et quandoque ex artis praeceperit febrem augendam esse.* Hinc grauis in medicina eorum est error, qui dulci persuasione illusi, motum febrilem prius sistere allaborant, vt deinde materia peccans febrilis multo commodiore via ex corpore possit proscribi. Nam innumera fere prostant exempla, quae grauissimum post februm suppressionem incurruunt periculum.

lum. Felices sane sunt illi quibus suppressa febris sponte, vel arte adhibita, redierit, et eos a materia peccante, vinculis inclusa, rursum liberauerit. Itaque potius motus febriles prudenter ita dirigendi, ut vbiique, excretiones salutares promouendo, fini a natura intento satisfiat.

### §. LVI.

Si tamen nonnunquam in febribus occurunt motus peruersi, multo difficultius negotium facessunt, claro febrium malignarum exemplo, sub quibus plures propter malignitatem motuum, quam propter malignitatem materiae peccantis moriuntur. *Vid. STAHLII dissertatio de malignitatis, praecipue febrilis, inde.* Atque hanc malignitatem motuum corrigere, res est sane maioris momenti, quam quisquam cogitauerit, omnemque prudentiam et attentionem vbiique meretur; et sane is, qui naturam hominis optime callebat, eiusque inclinationes et declinationes peruersas probe didicit, tutissimam in hac re eliget viam: de qua re conferri meretur *auctoris modo nominati iam supra §. XXXVIII. recensita dissertatio de erroribus practicis, circa contagiosarum malignarum febrium curationem, evitandis.*

### §. LVII.

*Lymphatico-serosi* morbi talis sunt conditionis, ut materia peccans vel praeceps periculum non inuoluant, ideoque motus aucti eidem non adeo opponantur, vel, quia praevalida est, motibus non ausultet. Posteriore casu praeualens materia auferenda et morus deficients restauratio per remedia tonica aut partium voluntarium usum respicienda; siquidem, deficiente partium tono, necessario materia peccans

cans cito cumulabitur, nouoque accessu nouas efficiet ob-  
structiones. Conf. BOERHAVE *de cognosc. et curand.*  
*morb. aphorism.* 1168. 1175. 1179. et FR. HOFFMANNI  
*Fundament. Pathol. general. Sect. III. Cap. VIII. §. 18.*  
Similiter se res habet in morbis *primarum viarum*: nam  
licet in illis materia peccantem abstuleris, roborationem  
vero partium subiungendam neglexeris, noua semper in  
corpo nascetur colluuius, quae molestis sensationibus  
causam struit recentem; sed si motus tantum molestos in  
hisce morbis compescere studes, materiam vero, iisdem  
motibus ansam praebentem, et mole sua turgentem, e  
corpo non auferas, longe grauius peccabis, nec vnuquam  
fine tuo potieris.

## §. LVIII.

Morbi ex *motuum defectu* vel spongiam et grauem  
causam materialem pro fundamento habent, propter quam  
motus a natura omittuntur, et tunc lethalis saepissime  
eventus subsequitur, vel leuiores pro subiectorum varia  
teneritudine et sensibilitate diverse comparatam, inuol-  
vunt. Quae quo magis subinde latet et quo saepius in in-  
timis animi secretis abscondita haeret, eo magis a Medico  
peruestigari debet, ut ea detecta, illius remotioni operam  
dare, animumque erigere valeat. Vid. BOERHAVE *de*  
*cognosc. et curand. morb. aphorism.* 1060. 1064. 1065. Affi-  
nes his morbis sunt ii, qui simpliciter *morb. animi* vocan-  
tur, quorum aliqui motuum animalium defectu, alii eorum  
excessu noti sunt; in omnibus quum mens laesa sit,  
illius quidem correctio prima indicatio esse videretur: inte-  
rim curationem ubique multum promouisse sanguinis su-

E

per-

perslui repetitam nonnunquam detractionem, cum motu corporis voluntario, ad multam vsque defatigationem perfecto, per experientiam didici; praesertim, si ad duas istas res, iucundum et animum recreaus cum aliis accedat vitae commercium. Vid. FR. HOFFMANNI *Fundam. Pathol. general. Sect. II. cap. I.* §. 34-40.

§. LVIII.

Antequam autem finem huius tractationis faciam, alias adhuc obseruationes subiungere placet; quibus non nullis obiectionibus, contra eandem mouendis, obuiam eundum esse censui. Quemadmodum certissime credo, nullum fore, qui de theseos veritate, quod *vera morborum diagnosis certum therapiae ponat fundamentum*, dubiter; ita vero simillimum est, plures fore, qui veritatem diagnoseos aut plane pernegerint, aut faltem infirment. Horum aliqui contendent, nimis generalem a me suppeditatam esse morborum diagnosis, quia in materia peccante designanda vbiuis fere fontem plethoricum tantum indicaui, in moribus vero salutarem eorundem directionem solam vbiique expressi. Opponere possent, multos dari morbos, quorum caussa materialis longe alia sit, quam plethora, et plures motus saluti hominis recuperandae contrarios existere. Sed quum longe plures morbi sint, in quibus abundantia humorum, tam spissorum, quam male mixtorum, apertam caussam materiale exhibeat, et morus, si non semper finem salutarem assequantur, testentur tamen vbiique eundem; tum a potiori thesin explicare, iure merito mihi fecisse videor, quoniam generalem tantum eiusdem disquisitionem tradere volui.

§. LX.

## §. LX.

Praeterea, quum §. XVII. etc. cognitionis ambitus sit expositus, quae veritatem diagnoseos antecedere debeat, tum nemo sane assuerare potest, me omnem medicinae scientiam in cognitione plethorae, et motuum eidem oppositorum salutarium posuisse. Omnimodum enim quarumvis rerum, ad morbum facientium, praesentium et praeteritarum, cognitionem completam et adaequatam, seu talem, qualis vis intellectus humani acquirere potest, ibidem desiderau, atque non specialiorem solum, sed specialissimam quoque ac individualem cuiusvis morbi indolem adaequate cognoscendam requisiui. Tali vero cognitione latissima aequa ac accuratissima comparata, omnes omnium morborum materias peccantes, quae in corpore gignuntur, ad uberrimum omnium malorum fontem, nempe plethoram, vel propiori vel remotiori nexu, reducendos esse, et motus coniunctos, saepissime salutares, magis adiuuandos, saltem, si excesserint, temperandos, nunquam tamen directe sistendos esse, ad generalem morborum diagnoseos veritatem pertinere ostendi.

## §. LXI.

Multo minus opinor, quenquam fore, qui ex generali hac morborum diagnoseos veritate, generalem quoque methodum, in omnibus morbis adhibendam, elicere velit, quasi vero tutissimum sit et unicum in omnibus morbis remedium, plethoram imminuere et motus adiuuare vel corriger. Morbus enim, qui a plethora primas egit radices, temporis tractu ram late per totum corpus serpit, ut radices illius detegere et euellere res admodum sit difficilis, et

E 2

cura-

curatio morbi saepius impedimenta varia prius remouere debeat, quam ipsum morbi fontem detegere, et totius mali caussam primariam euertere possit. Individualis praxis hoc Medicum edocebit, qui plures saepissime in eradicanda hac primaria morborum caussa reperit difficultates, quam sibi vñquam concipere potuit. *Conf. FR HOFFMANNI Prolegomen. ad fundument. pathol. general. Cap. II. §. XV.*

## §. LXII.

Tandem, ad veritatem diagnoseos morborum stabiliendam, multum quoque confert, *methodus curandi generalis*, quae in causa materiali dubia cum fructu adhiberi solet. Namque si morbi materia peccans valde abscondita et adeo intricata est, vt praesentem eius indolem non plene peruidere possimus, tum generaliora adhiberi solent remedia, ea scilicet, quae omnes corporis excretiones blande promouent, atque sic abundantiam humorum quorumvis collectam fructuose minuunt; sub quorum remediorum usu eventus salutaris saepe intentioni salutari responderet, dum tali modo, quaecunque materia corpori noxia per omnes excretionum vias simul proscriptur, corpusque ab ignoto morbi hospite feliciter liberatur.

## §. LXII.

Denique veritatem talis diagnoseos morborum generalis confirmat *methodus praefervans* a plurimis morbis, quam vñanimi consensu Medici omnis aevi praescripserunt. Consistit illa in *rerum non naturalium iusto ac temperato usu*, quarum sex numero comprehendunt, quae vero singulæ ad communem regulam restringi possunt; ne scilicet per assumta nutrientia maior humorum copia accumuletur, quam

quam cui tonus partium solidarum subigendae et abigendas  
abunde sufficiat. HIPPOCRATEM vnum, loco plu-  
rium, nominare liber, qui de *salubri vietis ratione*, libro  
*Ino* ita scribit: *Si inuentus fuerit cuiusque naturae conue-  
niens cibi modus et laborum numerus, qui neque supra ne-  
que infra modum excedat, sanitas sane hominibus exacte  
inuenta fuerit.* Ab experientia haec thesis ubique compro-  
batur, cum nulli homines a morbis magis sint immunes,  
quam qui ad talem regulam vitam suam accommodant.  
Sed haec sufficient ad thesin meam, si non exauriendam,  
explicandam tamen; vberiorem autem et accuratio-  
rem eiusdem disquisitionem cuiusuis indu-  
striae relinquo.

## T A N T V M.



HONORATISSIMO  
RESPONDENTI  
GE. FRID. MEIER.

PHILOSOPHIAE PROFESSOR PUBLICVS ORDINARIVS  
ACADEMIAE REGIAE BEROLIN. SOCIVS.

Noli mirari, AMICE AESTVMATISSIME, me, qui  
artis medicæ prorsus ignarus sum, munus opponen-  
tiis, quod humanissime mibi demandasti, suscepisse  
lubentissime. Quum enim in hoc negotio perficiendo ami-  
citatiae solum, artis vero et scientiae rationem nullam habeam:  
a me ipso impetrare non potui, vt officio me subtraherem,  
ad quod cum laude subeundum vires quidem deficiunt, cui  
vero amor satisficiet. Ex quo tempore enim in notitiam  
meam peruenisti, ex eo tempore quoque amavi TE vehe-  
mente. Placuit mibi egregie ingenium ad artem medi-  
cam natum, summa diligentia in addiscendis bonis artibus,  
singularis in omni artis salutaris praxi dexteritas, et non  
simulata mentis sinceritas. Quare non possum non, TIBI,  
CANDIDATE DOCTISSIME, summos in arte medica  
honores ex animo gratulari, atque optare, vt cedant in com-  
modum publicum, in honestissimae familiae splendorem, in  
optimi parentis gaudium, et in proprium emolumentum.  
Vale, meque TVI amantissimum, et ad quaevis officiorum ami-  
citatiae genera paratissimum amare perge, iterum iterumque  
vale. Dedi in Fridericiana Regia d. 3. Sept. 1756.

OMON

¶

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
**DOMINO CANDITATO**

S. D. P.

F. C. IVNCKER

PHIL. ET MED. D. ET PROF.

NEC NON ORPHANOT. HAL. MEDICVS ADIVNCTVS.

**T**ria sunt, quae proxime ad medicum officium pertinent, nimurum primo accurata inquisitio diagnostica morbi, secundo prudens medicamentorum ad morbum depellendum convenientium electio, et tertio sufficiens instructio aegroti, ut ea, quae in curatione ad felicem euentum perueniendum obseruanda sunt, rite cognoscatur. Quodlibet omnino horum momentorum requirit peritiam, diligentiam et iudicium practicum; omnium tamen maximum, meo saltim iudicio, est primum; secundum enim quidam libri practici maxima ex parte nos fideliter docent, et tertium efflagitat a quoquis practico ardens ille amor, quo aegrotantes complecti debet et fidelitas, qua eius salutem promouere tenetur. Quod vero primum, vera nempte morborum diagnosis dignissimum sit, Tua, CLARISSIME DN. CANDIDATE, dissertatio, in apricum ponit: illud enim, quod certum therapiæ fundamentum est, sine dubio quoque pro principali Medici officio habendum esse, quilibet facile concedet. Nihilo tamen securius summa haec Medici prouincia a multis vilipenditur, cum potius omni opera eo amittendum esset, ut ei satisfaceremus, in primis, quia illam ipsam non raro plures difficultates, schemata nimirum morborum laruata, eorum complicationes et peruersae aegrotantium vel nunciorum relationes premunt. Ex unica sane relatione morbi intricati re-

gna-

gnarus intelligere potest, an referens Medicus medicinam calleat  
nec ne: sed in hoc negotio, prob dolor! quotidiana experientia  
doceat, quod saepius etiam Medici non insiniae fortis in relationibus  
morborum, quas scriptis exhibent, nolentes volentes prodant, quam  
incompletum imo confusum morbi habeant conceptum. Nec sola,  
licet optima, sufficiunt praecerta ad iustam morborum faciendam  
diagnosin; necessario enim ad eam praefundam requiritur habitus ex  
frequenti aegrotantium inquisitione acquisitus. Quare illis sironi-  
bus gratulari conuenit qui occasionem nocti sunt, se in examine  
et diagnosi morborum exercendi. Quam sane felicitatem, quae  
Tibi abunde contigit, Tibi, PRAENOBILISSIME DNE CAN-  
DIDATE, gratior; studiis enim medicis theoreticis peractis sa-  
tius esse prudenter arbitratus es, exercitia prima praxes medicae  
in nosocomio Orphanotrophei, quod per Dei gratiam hic Halae flo-  
ret, instituendi, quam inexercitatis manibus propriam praxim sub-  
eundi. Matte hac Tua laude non paucis aegrotantium suffragitis  
superstructa. Neque de laude, quam in arte chirurgica mereris,  
tacere possum, ne ex neglectu illud praetermittam, quod TIBI, DNE  
CANDIDATE, de iure competit. Nam non sine iucunditate saepius  
spectator fui, quando operationes chirurgicas felici manu peregristi,  
easque tali animi suavitate concomitatus es, ut aegrotantibus dolores  
quasi dulces reddideris. Non possum itaque non felicem in Te  
agnoscere Therapeutam et Chirurgorum Directorem. Restat itaque  
hoc tantummodo, vt Te BENIGNITATI DININAE commendem,  
bonumque rerum Tuarum euentum exceptem. Vale et de meo  
in Te officio noli dubitare. Dabam Halae d. 5.  
Septembris 1756.




Halle, Med. Diss. 1744-59  
VD 18



T430C

Rehd.





12

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
**VERA MORBORVM  
DIAGNOSI CERTO THERAPIAE  
FVNDAMENTO.**

QVAM  
AVSPICE DEO PROPITIO  
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

**DN. IOANNE IVNCKERO**

MEDICINAE DOCTORE ET PROFESSORE PVBL. ORDINAR.  
ORPHANOTROPHEI HALENSIS ET PAEDAGOGII REGII  
PRACTICO CELEBERRIMO

PATRONO PRAECEPTORE AC PROMOTORE  
SVO AETERNV M DEVENERANDO

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

D. VII. SEPTEMB. MDCC LVI.

ERUDITORVM EXAMINI SVBIICIT

**HENRICVS THEOPHILVS KOEPPE**

NEOFANENSIS MARTISBURGICVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.